



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 633. Usque Ad Annum 726

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117840**

§. 18. Ecclesia Anglicana.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66082](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66082)

mine Anastasius, in Ecclesia S. Eusebii Sæculum VII  
 habitans, & Baptisterium habens, ad Fi- A.C. 638.  
 dem se convertit, atque exinde Catho-  
 licis præfuit. Ceterum Rex Rotharis  
 Longobardorum Leges in Tabulas refer-  
 ri iussit, postquam effluxissent anni se-  
 ptuaginta septem, ex quo Gens ista in  
 Italiam advenerat.

## §. XVII.

*Ecclesia Anglicana.*

Honorius Papa in Angliam miserat S.  
 Birinum, in interiora vastissimæ In-  
 sulæ, ubi nemo hucusque Evangelium  
 prædicasset, penetraturum. Hoc consi-  
 lio Episcopus ordinatus ab Asterio Epis-  
 copo Genuensi, cum pervenisset in Bri-  
 tanniam ad Gevissenses seu Saxones Oc-  
 cidentales, & omnes in Gentilis cœcita-  
 tis tenebris versantes invenisset, super-  
 vacuum fore credidit, alibi terrarum  
 Gentiles quærere. Igitur illius Natio-  
 nis Regem, nomine Cinegisilum, con-  
 vertit, & Mysteria Fidei satis edoctum  
 cum populo suo baptizavit. Adfuit huic  
 Cæremoniæ Rex Nordhumbriæ Osual-  
 dus, Regemque e Sacro fonte levavit,  
 cujus deinde filiam Matrimonio sibi jun-  
 xit. S. Birinus consentiente utroque  
 Rege, fixa in Civitate Dorcincana, ho-  
 die Dorcestria, Sede Episcopali, multis-  
 que ibidem ædificatis & consecratis Ec-  
 clesiis,

*Beda III.*  
*hist. c. 5.*

Sæculum VII clesiis, obdormivit in Domino, postquam  
 A C. 638. labore Apostolico multis populis lucem  
 veritatis Evangelicæ attulisset. Ipsius  
 ætate Meidulfus, pius & doctus Anachoreta Monasterium celeberrimum Malmesburiense fundavit.

*ibid. c. 6.*  
*Sup. Lib. XXXVII. §. 44.*  
 Ofwaldus Rex Nordhumbriæ, quamvis esset S. Regis Eduini Nepos, non statim tamen eo defuncto successit, sed duo alii Principes Regnum inter se dividerunt, qui postquam fuissent baptizati, postea tamen in Idololatriam relapsi sunt. Breve fuit eorum Regnum, quippe ambo prælio victi & vita exuti sunt a Cedualla Britonum Rege; at Ofwaldus alterius ex illis Regibus frater, cum haud ita valido exercitu innumeras pene copias Ceduallæ, qui & ipse cecidit, fudisset, fratris necem ultus est. Cre-

*c. 1.*  
 diderunt milites, insignem Victoriam Regis Ofwaldi pietati Cælum dedisse, nam cum prælio accingeretur, Crucem erigi, & per omnes ordines voce præconis proclamari iussit: *Flectamus genua! & simul omnes Deum rogemus, ut vindicet nos de immuni hostis superbia; ille enim solus novit, quæ hujus belli causa sit.* Locus pugnæ exinde dictus est Campus Cælestis, & multa ibi patrata miracula. Minimas particulas illius Crucis avellebant, & mittebant in aquam, quæ deinde tam hominibus quam

quam pecoribus aspersa languentes sa- Sæculum VII  
A. C. 638.  
nabat.

Osualdus Regnum consecutus, nihil antiquius habuit, quam ut totum populum suum ad Fidem Christianam suscipiendam permoveret. In hunc finem misit ad Seniores Scotiæ, id est, Hiberniæ, a quibus Baptismum acceperat, petitque, ut sibi mitteretur Episcopus, qui Anglos, subditos suos, in Fide erudiret. Illi miserunt virum austerum, qui postquam Fidem aliquamdiu prædicasset nullo fructu sequente, in patriam reversus in Seniorum conventu dixit; se operam perdidisse, quia ad homines Barbaros duri & indomiti ingenii missus fuisset. Cum deinde singuli sententiam dicerent, & magno tenerentur desiderio, illius Gentis Salutem procurandi, aliquis ex præsentibus, nomine Aidanus, Presbyterum, qui missus fuerat, ita affatus est: *Ut ego quidem arbitror, Frater mi! æquo durius egisti cum populo rudi, immemor, quid dixerit Apostolus I. Cor. 3. 2: nos docens, initio Discipulis fidei lac suavis Doctrinæ esse instillandum, donec graviora præcepta capere valeant.* Omnium oculos his verbis in se convertit Aidanus, & re mature examinata ipsum ad illos populos mittere decreverunt, utpote virum magnæ Discretionis, quæ omnium Virtutum Mater est.

*Hist. Eccles. Tom. IX.*      D      §.XIX.